

Ad argumentum contra quæstionem (α) respondet sanctus Thomas, præsentî distinctione, q. 1, art. 1, q^{ta} 3, in solutione tertii, dicens : « Non omnis benedictio quæ homini adhibetur, vel consecratio, est sacramentum : quia monachi et abbates benedicuntur, tamen illæ benedictiones non sunt sacramenta ; et similiter nec regalis unctionis ; quia per hujusmodi benedictiones non ordinatur aliquis ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictionem ordinis ; et ideo non est simile. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XXV.

QUÆSTIO I.

UTRUM EPISCOPATUS SIT ORDO

SIRCA vigesimamquintam distinctionem 4. *Sententiarum*, et finem præcedentis, quæritur : Utrum episcopatus sit ordo. Et arguitur quod non. Quia unus ordo non dependet a præcedenti, quantum ad necessitatem sacramenti. Sed episcopalis potestas dependet a sacerdotali ; quia nullus potest recipere episcopalem, nisi prius habeat sacerdotalem. Ergo episcopatus non est ordo.

In oppositum arguitur. Quia ordo nihil aliud est quam quidam potestatis gradus in spiritualibus dispensandis. Sed Episcopi possunt dispensare aliqua sacramenta ; quæ non possunt dispensare sacerdotes, sicut confirmationem et ordinem. Ergo episcopatus est ordo.

In hac quæstione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod episcopalis potestas quoad aliquam est superior potestate sacerdotis non episcopi.

Hanc ponit sanctus Thomas, vigesimaquarta

(α) quæstionem. — conclusionem Pr.

distinctione hujus, q. 3, art. 2, in solutione primæ quæstiunculæ, ubi sic dicit : « Sacerdos habet duos actus : unum principalem, scilicet consecrare verum corpus Christi ; alium secundarium, scilicet præparare populum ad susceptionem hujus sacramenti, ut prius (dist. 24, q. 2, art. 2) dictum est. Quantum autem ad primum actum, actus sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi divina. Sed quantum ad secundum (α) dependet ab aliqua superiori potestate, etiam humana. Omnis enim potestas quæ non potest exire in actum nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quæ illas ordinationes facit. Sacerdos autem non potest solvere nec ligare, nisi præsupposita prælationis jurisdictione, qua sibi subdantur illi quos absolvit ; potest autem consecrare quamlibet materiam a Christo determinatam ; nec aliud requiritur, quantum est de necessitate sacramenti, quamvis ex quadam congruitate præsupponatur actus episcopalis in consecratione altaris et vestium et hujusmodi. Et ita patet quod oportet esse supra sacerdotalem potestatem, episcopalem, quantum ad actum secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari duplex ratio, pro duplice parte conclusionis. Et quidem pro prima, scilicet quod episcopalis potestas non sit superior potestate simplicis sacerdotis quoad primum et principalem actum sacerdotis, probatur sic : Potestas sacerdotialis potest exire in suum principalem actum, non supposito aliquo actu potestatis episcopalis. Ergo, quoad hoc, potestas sacerdotialis non est inferior potestate episcopali, nec potestas episcopalis est ea superior.

— Quoad secundam partem conclusionis, scilicet quod potestas episcopalis sit superior potestate simplicis sacerdotis quoad actum secundarium ejus, arguitur sic : Potestas quæ non potest exire in actum suum secundarium, nisi præsupposita ordinatione vel actione alterius potestatis, est tali potestate inferior quoad hoc. Sed potestas sacerdotialis illo modo se habet ad potestatem episcopalem. Ergo, etc.

Secunda conclusio est quod episcopatus est ordo, accipiendo ordinem large, prout ordo dicitur tam de sacramento quam de officio non sacramento ; non autem proprie et stricte, prout ordo est sacramentum.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 24, q. 3, art. 2), in solutione secundæ quæstiunculæ, dicens : « Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod est sacramentum ; et sic ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae sacramentum ; unde, cum Episcopus non habeat superiorem potestatem sacerdote quantum ad hoc, episcopatus non erit

(α) etiam. — Ad. Pr.

ordo. Alio modo potest considerari ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarumcumque actionum sacrarum; et sic, cum episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus est ordo. » — Hæc ille.

Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit : « Ordo, prout est sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad Eucharistiae sacramentum, in quo ipse Christus continetur; quia per characterem ipsi Christo configuramur. Et ideo, licet detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris; et propter hoc episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est quoddam sacramentum. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari ratio, pro utraque parte conclusionis. Pro prima, arguitur sic : Omne officium habens potestatem exercendi sacras actiones, et conferendi aliqua sacramenta, quam non habent carentes tali officio, est ordo communiter dictus. Sed episcopatus est hujusmodi. Ergo, etc. — Pro secunda, arguitur sic : Ordo, prout est sacramentum, importat potestatem ordinatam ad Eucharistiae sacramentum. Sed talem potestatem non importat episcopatus superiorem sacerdotio. Ergo non est ordo, qui sit vere et proprie, vel stricte loquendo, sacramentum.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra primam sunt multæ auctoritates Hieronymi (*Epist. ad Evangelum* (α), et *Comm. in Epist. ad Titum*) qui videunt sensisse quod summa potestas consecrationis, sive ordinis, erat potestas sacerdotalis (ita quod omnis sacerdos, quantum est de potestate sacerdotali, potest omnia sacramenta ministrare, confirmationem, omnes ordines, omnes benedictiones et omnes consecrationes facere; sed, propter periculum schismatis, fuit ordinatum ut sacerdotes unum ex ipsis eligerent, qui diceretur Episcopus, id est, super alios intendens, cui obedirent, et cui reservatum est ordines facere, et hujusmodi, quæ non faciunt nisi soli Episcopi); et quod Episcopus est major sacerdote, quantum ad potestatem jurisdictionis, sed non quoad potestatem ordinis vel consecrationis, sed sunt pares, quamvis ex ordinatione Ecclesiæ aliqua sint reservata Episcopis et prohibita presbyteris. Quæ quidem dicta Hieronymi habentur

in Decretis, dist. 93, can. *Legimus in Isaia*, etc. (α). — Sed quia dicta opinio non plus est contra sanctum Thomam quam contra omnes alios doctores, et rationes ejus sufficenter solvit Durandus (dist. 24, q. 5), et Petrus (dist. 24, q. 6), et dicta Hieronymi convenienter exponunt, ideo eas non recito de praesenti (β).

§ 1. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Durandi. — Contra secundam conclusionem, et ejus probationem, arguit Durandus (dist. 24, q. 6), dicens quod, quidquid sit de conclusione, ratio tamen istorum non concludit bene secundum mentem eorum. Cum enim dicunt quod sacramentum importat habitudinem ad sacramentum Eucharistiae, si intelligatur in consecrando tantum, contra eos est : quia minores ordines nullam talam habitudinem habent; et tamen, secundum eos, sunt sacramenta. Si autem intelligatur hæc habitudo in consecrando vel disponendo ad consecrationem seu consecrati susceptionem, iterum est contra eos : quia, sicut potestas minorum ordinum est ad disponendum populum ad sacramenti Eucharistiae susceptionem, sic potestas episcopalis est ad ordinandum ministrum ad ejusdem consecrationem vel confectionem; sicut ergo propinquorem et nobiliorem habitudinem ad sacramentum Eucharistiae habet consecranti quem recipiens, sic nobiliorem et propinquorem habitudinem habet ad illud sacramentum potestas episcopalis quam potestas minorum ordinum; ergo si minores ordines sunt sacramenta, secundum istos, sequitur quod ordinatio episcopalis fortiori ratione erit sacramentum.

Secundo. Quia, sicut consecratio panis et vini constituant unum sacramentum, tanquam partes ejus integrales; sic ordinatio sacerdotis simplicis et ordinatio summi sacerdotis, id est, Episcopi, constituunt unum completum sacramentum sacerdotii. Cum enim perfectum sit quod potest facere simile sibi, illud sacerdotium non est completum, per quod sacerdos non recipit potestatem ordinandi alium in sacerdotem; et tale est sacerdotium simplex. Sacerdotium autem sumnum, id est, episcopatus, est perfectum sacerdotium : quia per ipsum recipitur potestas ordinandi alium in sacerdotem summum, vel simplicem. Et sic ordinatio simplicis sacerdotis et ordinatio episcopalis constituunt unum sacramentum perfectum.

Tertio. Quia ordo non est aliud nisi gradus potest.

(α) Iste canon consicitur ex epistola Hieronymi ad Evangelum presbyterum. Ea vero quæ dicit in commentario supra Epistolam ad Titum, reperiuntur in Decretis, can. 5, Dist. 93.

(β) Cfr. etiam Divum Thomam, 2^a 2^o, q. 184, art. 6, ad 4^{um}, ubi respondet dictis Hieronymi.

statis vel ministerii in spiritualibus dispensandis. Sed Episcopi possunt dispensare aliqua sacramenta, quae non possunt dispensari per simplices sacerdotes, sicut confirmationem et ordinem sacram. Ergo episcopatus est ordo et sacramentum.

II. Argumenta aliorum. — Ad idem arguitur ab aliis (apud Petrum de Palude, dist. 24, q. 7).

Primo. Quia satis videretur mirabile quod ordinatio acolythi, qui debet portare candelabrum, ureolum, aquam et vinum, esset sacramentum, et ordinatio episcopalnis, ad quam vel a qua dependet totus ordo ecclesiasticus, non esset sacramentum.

Secundo. Quia episcopatus est a Deo institutus; et cum signo sensibili consecrationis datur; et ex opere operato confert gratiam; ut videtur, multo magis quam alii ordines, quia Deus non deficit in necessariis, et ipse Episcopus plus indiget quam quicunque aliis. Ergo videtur quod episcopatus sit verum sacramentum, habens omnia que requiruntur ad essentiam sacramenti.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM ET PRIMAM CONCLUSIONES

Argumenta Aureoli. — Contra eamdem conclusionem, et contra primam insimul, arguit Aureolus (dist. 24, q. 1, art. 2), probando quod episcopatus non sit aliis ordo distinctus a sacerdotio.

Primo. Quia aut esset ordo superior sacerdote, aut inferior. Sed nec sic, nec sie. Ergo nullo modo. Probatur minor. Quia quod non sit inferior, patet: quia inferius prius sumitur et presupponit ordinis superiori; sed consecratio in Episcopum non presupponit ordinationi in sacerdotium, sed magis econtra; ergo. Quod etiam non sit superior, patet: quia nullum actum superiore habet, ut distinguitur contra sacerdotium. Patet: quia actus Episcopi, ut differt a sacerdotio, est ordinare; actus vero sacerdotis, ut differt ab Episcopo, est confidere corpus Christi; constat autem quod confidere corpus Christi est actus melior et dignior quam ordinare; ergo, etc. — Dicitur forte, quod gradus episcopalnis est dignior, eo quod includit ordinem sacerdotalem, et ultra hoc addit aliquid aliud quod est sibi proprium, et ambo sunt digniora simul quam alterum per se. — Contra. Quia hic non comparatur episcopatus ad sacerdotium quantum ad illud quod ambo includunt, sed praeceps quantum ad illud quo unum differt ab alio. Licet ergo episcopatus posset dici ordo; non tamen distinctus a sacerdotio; quia non ordinatur ad actum superiore actu sacerdotis, nec ad inferiorem, nec aequalem. Quod enim non ad superiore, nec inferiorem, probatum est. Quod autem non ad aequalem, patet: tum quia confidere

et ordinare non sunt actus aequales; tum quia in ordine hierarchico non possunt esse duo aequalia.

Secundo sic. Gradus episcopalnis et sacerdotium non sunt distinctae potestates. Ergo nec distincti ordines. Antecedens patet. Quia quandomcumque aliqua forma sic se habet, quod ei debentur multi actus, si alter eorum impeditur, et postea contingat removeri impediens, non causatur nova forma, nec in prima forma aliud variatur, nisi quod removetur impediens prioris formae. Exemplum est: quia, in habente animam rationalem, ubi quandoque impeditur actus rationis, et postea removetur impedimentum, non datur nova anima, vel forma, sed tantum removetur illud quod prius impedit animam rationalem ne exiret in actum rationis. Sed ordinare in sacerdotem est actus conveniens (α) sacerdoti in quantum sacerdos est, et tamen est actus impeditus in eo. Probatur: Quia nemo dat quod non habet, sicut in naturalibus ubi forma transfundit seipsam; ergo non sacerdotis non (β) est ordinare in sacerdotem, sed hoc pertinet ad sacerdotem, qui habet illam formam potentem transfundere seipsam. Unde Papa non posset ordines committere non sacerdoti, posset autem committere cuiuscumque sacerdoti. Ergo videtur quod conferre ordines sit pertinens ad sacerdotem.

Confirmatur. Quia pone quod aliquis sit sacerdos; omni alio circumscripto, Papa potest ei committere ordines. Pone autem omnia alia, et circumscribe sacerdotium, non poterit ei Papa committere potestatem ordinandi. Hoc videtur satis probabile: quia omnibus forma, ex quo est in actu, videtur quod possit se communicare in eadem specie; ergo quicunque sacerdos poterit ordines celebrare. Ergo, si potestas illa modo (γ) sit impedita, sicut est de facto, et impedimentum removeatur per hoc quod fit Episcopus, non datur ei nova potestas, sed tantummodo pristina potestas prius impedita expeditur, impedimento remoto; et haec reductio illius potestatis ad usum dicitur ampliatio potestatis. — Hæc Aureolus, in forma.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Durandi. — Quantum ad

(α) *conveniens*. — *communis* Pr.

(β) *non sacerdotis non*. — *sacerdotis* Pr.

(γ) *modo*. — *non* Pr.

tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem,

Ad primum Durandi contra secundam conclusio-
nem, dicitur quod divisio ibi posita, est insuffi-
ciens : quia sacramentum ordinis importat habitu-
dinem ad Eucharistiae sacramentum, non in conse-
crando tantum, sed sub disjunctione, vel in conse-
crando Eucharistiam, vel in ministrando conse-
cranti vel celebranti actualiter. Cum autem dicit
arguens, quod hoc est contra nos, — falsum est.
Nec valet sua probatio. Quia potestas minorum
ordinum est ad ministrandum actualiter conse-
cranti, non autem potestas episcopalis; quia illa non
ordinatur proxime ad actualem consecrationem, sed
ad corpus mysticum confirmandum, vel ordinan-
dum, vel benedicendum, vel aliquo modo regen-
dum. Et licet consecranti Eucharistiam propinquio-
rem et nobiliorem habitudinem habeat ad Eucha-
ristiam quam populus recipiens eam, non sequitur
quod potestas episcopalis propinquius ordinetur ad
Eucharistiam, quia est ad ordinandum ministrum
ad consecrandum Eucharistiam, quam potestas
minorum ordinum, quæ est ad disponendum popu-
lum ad Eucharistie susceptionem. Cujus ratio est :
quia potestas episcopalis non est ad ordinandum
sacerdotem ut est actu consecranti, vel absolvens,
vel inungens infirmum; potestas autem minorum
ordinum est ad disponendum populum ut est actu
communicans, vel suscipiens Eucharistiam; nec
proprie ordinatur ad populum ut populus est, sed
ut communicans. Et ideo minores ordines sunt sa-
cramenta, non autem episcopatus, proprie loquendo.
Et sic patet quod divisio quam proponit argumen-
tum in principio, insufficiens est.

Verumtamen ad istud argumentum aliter respon-
det Petrus de Palude (dist. 24, q. 7), dicens quod
« illa pertinent ad sacramentum per se et directe,
per quæ efficitur, et per quæ virtus efficiens in
operando juvatur; non autem illa per quæ virtus
illa acquiritur. Sicut non potest dare extremam
unctionem nisi sacerdos, nec potest esse sacerdos
nisi sit ab Episcopo ordinatus; sed, supposito quod
sit ordinatus, ad inungendum non plus requiritur
Episcopus, sed requiritur oleum sanctificatum, et
verba; et quod in multis locis fiat, et hujusmodi.
Unde ad unitatem sacramenti concurrunt illa quæ
ad executionem ministri requiruntur, non autem
ea quæ constituant ministrum. Et sic est (α) in pro-
posito. Unde non est simile : quia (β) Episcopus
nullum actum exercet, ut Episcopus est, ad hoc
quod sacerdos celebret, licet prius exercuerit et in
ipso et in instrumentis et ministris ejus; sed sex
ordines presbytero subministrant in actu illo. Unde
prout ordo est sacramentum in comparatione ad

Eucharistiam, sex ordines sunt sacramentum; non
autem episcopatus; alias esset dignior quam sacer-
dos respectu (α) hujus, cum sit causa æquivoca; non
est autem respectu ejus dignior, quia nullus actus
hierarchicus est isto dignior, qui debetur sacerdoti
in ratione sacerdotii. » — Hæc Petrus. — Et sub-
dit : « Ad sacramentum dicitur pertinere non illud
quod dat virtutem activam faciendi : alias episcopatus
esset de sacramento confirmationis sicut de
sacrâmento ordinis; quia ita confert unum sicut
reliquum; et de sacramento pœnitentiae, et extremæ
unctionis, quia ita ordinat ministrum illorum sicut
Eucharistie. Unde episcopatus non est ordo quia
confert ordinem, nec sacerdotium est Eucharistia
quia eam conficit; sed ea quæ subserviendo concur-
runt. Sed prout ordo dicit gradum superioritatis et
spirituale potestatem, episcopatus est ordo. » —
Hæc Petrus, et bene.

Ad secundum dicitur quod similitudo ibidem
addueta, non valet : quia consecratio panis et con-
secratio vini sunt sacramentum unitate perfectio-
nis, propter unitatem finis ad quem ordinantur, ut
dictum fuit in precedenti quæstione; sed sacerdoti-
um et episcopatus non ordinantur ad unum et
eundem finem, sed ad diversos, scilicet sacerdoti-
um ad corpus Christi verum, episcopatus autem
ad corpus Christi mysticum; ideo non est simile.
Cum autem dicitur quod perfectum est quod potest
sibi simile facere, etc., — non est ad propositum :
quia propositio illa locum habet duntaxat in formis
eductis de potentia materiæ. Quod patet : nam nec
anima rationalis, nec angelus, nec gratia, nec char-
itatis possunt sibi similia facere, quantumcumque
sint perfecta. Tum quia, si sacerdotium simplex
et episcopatus constituant unum perfectum sacra-
mentum sacerdotii, quod dicitur summum sacer-
dotium, per quod aliquis potest sibi simile facere,
queritur de illo aggregato sacerdotio ex talibus
partibus heterogeneis : ex qua parte, vel cuius
partis virtute excedit imperfectum, vel est perfe-
ctius sacramentum quam simplex sacerdotium? Non
potest dici quod ratione characteris sacerdotii sim-
plicis; quia idem non excedit seipsum. Nec ratione
potestatis quam episcopatus superaddit simplici
sacerdotio; quia potestas illa imperfectior est cha-
ractere sacerdotiali, cum sit ordinata ad actum
imperfectiorem. Si dicatur quod ratione totius aggre-
gati, hoc non valet, propter duo. Primo, quia
imperfectum additum perfectiori per modum aggrec-
tionis non constituit perfectius intensive quam
prius, sed solum extensive. Secundo, quia, posito
quod illud aggregatum sit quodammodo perfectius
quam prius esset characteris simplicis sacerdotii, non
sequitur quod illud sit sacramentum, nec quod
quælibet ejus pars pertineat ad sacramentum ordi-

(α) est. — illud Pr.

(β) quia. — quod Pr.

(α) respectu. — ratio Pr.

nis, nec quod sit perfectius sacramentum, sed perfectior potestas: non enim omnis potestas conferendi sacramentum est sacramentum, aut pertinens ad sacramentum intrinsecè tanquam pars sacramenti; sicut patet de potestate baptizandi, vel contrahendi matrimonium. Et de hoc dictum est in probatione secundæ conclusionis, quomodo potestas episcopalis non habet rationem characteris, quia non ordinatur specialiter ad Eucharistie sacramentum.

De hoc Petrus (dist. 24, q. 7): « Quidam dicunt quod episcopatus characterem imprimit, quia potestatem faciendi aliquid absolute. Sed verius dici potest quod per episcopatum ampliatur character sacerdotalis, ut sit unus et idem; et ideo non imprimat characterem, sed impressum intendit ad aliud. Et hæc est necessitas quare supponit sacerdotalem, quia non est aliquid aliud, sed ejus intensio et perfectio; alias, sicut unus ordo non de necessitate presupponit alium, sic nec episcopalis dignitas sacerdotalem supponeret. Potest ergo dici quod episcopatus est ordo, sed non est distinctus a sacerdotio; et est sacramentum, sed non distinctum a sacramento ordinis; et imprimat characterem, sed non alium. Sicut enim acolythus, accipiendo candelabrum, accipit potestatem ad unum actum, et per consequens characterem, qui est potestas agendi, et, recipiendo urceum cum aquamanili (α), accipit potestatem ad alium actum, et per consequens characterem; sed quia unius et ejusdem est uterque actus, una est potestas, et per consequens character, habens hos duos actus subordinatos. Et similiter in subdiacono idem est character, et idem ordo, et idem (δ) sacramentum, cum accipit potestatem legendi epistolam, et calicem ministrandum altari. Et similiter sacerdotium, cum accipit potestatem celebrandi, et absolvendi, ut dictum est. Omnia hæc sunt inter se unus ordo, unus character, et una pars sacramenti ordinis. Dicitur autem character imprimi in illo quod est principalius: sive quia illud est prius, et per sequentia non imprimitur novus, sed ampliatur prius impressus; sive quia illud est principalius. Et licet per primum, quo dicitur, *Accipite potestatem*, etc., imprimatur character in quolibet ordine, et per consequentia non imprimatur, sed intendatur; tamen a principaliori denominatur. Sunt ergo septem ordines; sed septimus, scilicet sacerdotium, continet duplum potestatem in generali, scilicet sacerdotalem proprie dictam, et episcopalem; et propter hoc aliquando vocantur Episcopi presbyteri, et e converso; sicut differunt diaconi et levitæ, si diaconus

importaret potestatem legendi Evangelium tantum, levita potestatem dispensandi sanguinem vel ministrandi, et nihil aliud. Et propter (α) hoc dicitur episcopatus non esse ordo in relatione ad corpus Christi verum, quia scilicet non est distinctus a sacerdotio. » — Hæc Petrus. — Et addit ulterius quod « probabiliter potest dici quod si episcopatus esset distinctus a sacerdotio, esset quid minus; et posset fieri Episcopus, qui non esset sacerdos, sicut sacerdos, qui non esset diaconus; quia unus character est ab alio distinctus. Nunc autem non sic est. Sed sicut habitus scientiæ aliquando augetur non intensive respectu ejusdem conclusionis, sed extensive respectu alterius (puta quia de eodem objecto sub eadem ratione formaliter per novum exercitium acquirit homo notitiam novæ conclusionis, tunc intenditur habitus scientiæ: non sic quod possit limpidius speculari illud quod prius obscurius, et promptius, quia ponitur quod non plus frequentaverit conclusionem prius notam; sed quia (δ) per illum habitum per quem prius non poterat considerare prompte nisi unam conclusionem, quam solum frequentaverat, nunc potest æqualiter considerare secundam, quam sic prius non poterat); ita character sacerdotalis, qui prius non poterat ordinare vel confirmare, sed tantummodo inungere, confidere et absolvere, non potest plus confidere quam prius posset, sed ordinare et confirmare, quod prius non poterat; ita quod est alia ordinatio episcopalis, et alia sacerdotalis, et talis character imprimitur per primam, et perficitur per secundam. — Sed ocurrat dubium: cum intensio potentiae non faciat eam posse quod prius non poterat, sed tantum intensius posse quod prius poterat, quomodo episcopus potest id quod sacerdos non poterat? et quare non plus potest confidere quam ille, si habet characterem intensiorem? Et dicendum quod quando effectus non est de se intensibilis, virtus intensa non plus potest in illum quam remissa; sed (γ) aliquando virtus visiva potest videre aliquid quando est fortis, quod non poterat quando erat debilis, quia quanto est fortior, tanto ad plura se extendit. Sic ergo character sacerdotalis primo et principaliter est ad consecrandum corpus Christi, ita quod consecrare est ejus actus; sed quando extenditur, tunc potest plura consecrare, quia non solum corpus Christi, sed hominem, et alia; sed non potest plus confidere quam ante, quia effectus ille non est intensibilis. Quod autem consecratio episcopalis (δ) possit intendere characterem sacerdotalem, nec (ϵ) possit eum de novo generare (cum alias forma per illud intendatur per quod generatur), est ex divina ordinata.

(α) *aquanianili*. — *aqwanianu* Pr. — Aquamanile idem est ac palvis, nempe vas inferius in quo manibus infusa aqua delabitur. Cfr. Ducange.

(β) *idem*. — dicitur Pr.

(α) *propter*. — per Pr.

(β) *quia*. — Om. Pr.

(γ) *sed*. — sicut Pr.

(δ) *non*. — Ad Pr.

(ϵ) *nec*. — cum Pr.

tione, quae sic contulit virtutem istis consecrationibus, et non aliter (z) : sicut si traditio ureci (6) acolytho præcederet traditionem candelabri, nihil ageret; sed, illa præsupposita, ejus effectum auget. » — Hæc Petrus; et male quoad multa. *Primo*, quia ponit potestatem episcopalem non distingui a charactere sacerdotali nisi sicut formam intensam a seipsa remissa. Hoc enim est contra sanetum Thomam, ut patet ex dictis ejus allegatis pro secunda conclusione. Et ulterius est in se falsum et improbabile : quia ubi est sola intensio formæ vel potentiae activæ, sine additione cuiuscumque novi absoluti intrinseci vel extrinseci ad priorem formam quæ dicitur intendi, forma taliter intensa non potest in actu vel effectum alterius speciei quam prius posset; cuius oppositum est in proposito, de potestate episcopali respectu characteris sacerdotalis prius habiti. *Secundo*, quia nec valet similitudo de augmento habitus scientifici respectu novarum conclusionum : quia falsum supponit, scilicet quod tale augmentum extensivum possit fieri illo modo sine acquisitione alicujus novi absoluti, puta vel novarum specierum intelligibilium, aut novorum conceptuum, aut novorum syllogismorum, aut superadditione novi luminis supernaturalis, aut novorum phantasmatum, vel nova combinatione præcedentium, aut nova sensatione exteriori. Ideo illud quod dicitur de augmentatione habitus scientifici per solos novos respectus, cum sit in se falsum, nullo modo juvat ad salvandum intensionem characteris sacerdotalis per consecrationem episcopalem sine additione cuiuscumque novi absoluti; sed videtur mera fictio. *Tertio*, quia ponit episcopatum esse sacramentum, non tamen distinctum a sacerdotio. Hoc enim discordat a sancto Thoma et veritate. Quia vel intelligit ista duo esse unum sacramentum, quia secundum est idem quod primum; vel quia primum et secundum sunt partes unius sacramenti completi. Si primo modo, manifeste dicit falsum : quia materia et forma unius differunt numero vel specie a materia et forma alterius; et, posito uno, non ponitur aliud. Si secundo modo, hoc non valet : quia illa duo non ordinantur directe ad unum finem, sed ad diversos. Similiter, quia illud tertium ex ambobus resultans, nullum actuum habet perfectiorem actu consecrationis, qui competit simplici sacerdotio; et sic non videtur perfectius sacerdotio intensive, sed solum extensive. Similiter, quia character sacerdotalis nullo modo concurrit ad effectum superadditæ potestatis episcopalis, nec virtute sacramenti, nec ex naturali concomitantia; nec econtra potestas secunda concurrit ad effectum primæ aliquo modo. Et ulterius, quia Petrus intelligit primo modo, non secundo modo dicta sua. Nec obstat quod Episcopus

dicitur summus sacerdos : quia hoc non dicitur ex hoc quod habeat superius aut perfectius sacramentum quam simplex sacerdos, sed ideo quia habet superiorem potestatem, non solum jurisdictionis, sed ordinis et consecrationis.

Ad tertium dicitur quod argumentum non aliud concludit nisi quod episcopatus sit ordo; et hoc conceditur; non tamen quod talis ordo sit sacramentum, quia nec potest esse sacramentum superius sacerdotio, nec inferius, nec aequale, ut arguit Aureolus (z). Ad quod facit solutio sequentis : quia Papatus non est sacramentum, et tamen Papa potestam singularem habet tam in sacramentalibus quam in sacramentis dispensandis praे ceteris Episcopis. Ideo non valet argumentum.

II. Ad argumenta aliorum. — Ad primum respondet Petrus (dist. 24, q. 7), quod « consequentia non valet : quia totus ordo ecclesiasticus plus deprehendet a Papatu quam ab episcopatu; de quo tamen bene constat quod non est sacramentum distinctum ab episcopatu, quia Christus elegit Petrum in Papam præ ceteris, nec propter hoc novam sanctificationem sibi tribuit; unde etiam Episcopus in Papam electus non aliter consecratur. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad secundum dicit Petrus (ibid.), quod « posset dici quod episcopatus esset sacramentum, non tamen distinctum a sacramento ordinis, et specialiter sacerdotii : quia, cum unum sacramentum non supponat aliud nisi solum baptismum, licet una pars sacramenti supponat aliam (sicut confessio contritionem, et satisfactio confessionem), episcopatus supponit presbyteratum; ideo non est aliud sacramentum. » — Hæc ille; conformiter ad præcedentia dicta sua.

Sed hoc videtur esse contra sanetum Thomam. Ideo dicitur aliter, quod, licet in episcopali consecratione conferatur gratia ex opere operato, non tamen habet rationem sacramenti vere et proprie dieti, quia scilicet non habet completam rationem alicujus speciei sacramenti. Et quidem de sacramento baptismi, confirmationis, penitentiae, Eucharistie, extremæ unctionis et matrimonii, constat. De sacramento vero ordinis, patet quod non habet perfectam rationem illius sacramenti, quia non ordinatur ad Eucharisticæ sacramentum, sed ad corpus Christi mysticum. Non est ergo vere et proprie sacramentum, sed officium vel potestas superveniens sacramento ordinis et ejus characteri, et complementum ejus quoad actum secundarium sacerdotii, et perfectio accidentalis, et per accidens, non per se, consequens characterem sacerdotii : sicut species intelligibilis vel habitus scientificus superadditur potentiae intellectivæ, vel habitus moralis

(x) et non aliter. — cum non aliter agendo Pr.

(6) urcei. — vini Pr.

(z) Cfr. art. præced., § 2, arg. 1.

potentiae appetitivæ; licet similitudo non currat per omnia, quia ibi est potestas, hic habitus solum. Si autem quis contendat episcopatum esse vere sacramentum, hoc erit aequivoce, vel analogice, et non univoce cum cæteris ordinibus. Et forte hoc intellexit sanctus Thomas. — Quod autem non oporteat omnem consecrationem in qua gratia confertur ex opere operato, esse vere et proprie sacramentum, testatur sanctus Thomas, secunda distinctione hujus, q. 1, art. 2, in solutione noni argumenti, dicens: « Ad quamlibet eminentiam status datur aliqua sanctificatio, cum sit ibi necessarium speciale auxilium gratiæ; sicut in consecratione regum, monachorum et monialium. Et ideo sunt actiones hierarchicæ. Et propter hoc Dionysius (*de Eccles. Hierarch.*, cap. 6) determinat de eis. Non tamen habent rationem sacramenti, sed solum illa eminentia status per quam homo efficitur sacramentorum dispensator. » — Hæc ille. — Et intellige de dispensatione sacramenti Eucharistie. Quia potestas dispensandi alia sacramenta, ut præscindit a potestate dispensandi Eucharistiam, consiendo vel ministrando confienti, non sufficit ad rationem sacramenti. Nihil enim est sacramentum, nisi habeat ordinem ad Eucharistiam, ut ostendit sanctus Thomas, 3 p., q. 65, art. 3, ubi sic dicit: « Omnia alia sacramenta ordinantur ad Eucharistiam sicut ad finem. Manifestum est enim quod sacramentum ordinis ordinatur ad Eucharistie consecrationem. Sacramentum vero baptismi ordinatur ad Eucharistie receptionem; in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non vereatur se (α) subtrahere a tali sacramento. Per poenitentiam et extremam unctionem preparatur homo ad digne suscipiendum corpus Christi (6). Matrimonium vero significative attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesie, cuius unitas per sacramentum Eucharistie figuratur; unde Apostolus dicit, *Ephes.* 5 (v. 32): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia.* » — Hæc ille. — Item, multum ad propositum, 4. *Sentent.* (γ), dist. 38, q. 1, art. 5, in solutione secundi, sic dicit: « In consecratione virginum, sicut et in unctione regum, et in aliis hujusmodi benedictionibus, gratia datur, nisi sit impedimentum ex parte suscipientis. Sed tamen hujusmodi non dicuntur sacramenta; quia non sunt instituta ad curationem morbi peccati, sicut alia sacramenta. » — Hæc ille. — Et similiter potest dici de consecratione episcopali, quod, licet in ea gratia conferatur, non tamen est sacramentum, quia non ordinatur ad curationem morbi peccati.

(α) non vereatur se. — vereatur Pr.

(6) corpus Christi. — Om. Pr.

(γ) *Sententiarum.* — Om. Pr.

Sed tunc insurgit dubium: Quomodo in consecratione virginum et aliis benedictionibus confertur gratia ex opere operato, cum non sint a Christo instituta, sed ab Ecclesia, quæ non potuit talibus consecrationibus conferre virtutem causandi gratiam, quia hoc pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ soli Christo competit? Dicitur quod hujusmodi consecrationes, quæ non sunt sacramenta, etsi non sint instituta immediate a Christo, tamen Ecclesia illas instituit consilio et instinctu Spiritus Sancti. Et hoc sufficit ad hoc quod in eis conferatur gratia, non quidem ab illis sicut a causa instrumentaliter agente per aliquam virtutem eis existentem; sicut faciunt sacramenta; sed sunt causa sine qua non collationis gratiæ et dispositionis ad eam, sicut dictum fuit superius (α) de circumcisione. Verum tamen consecratio episcopalis ab ipso Christo instituta creditur.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM ET PRIMAM CONCLUSIOES

Ad argumenta Aureoli. — **Ad primum** Aureoli contra ambas conclusiones, dicitur quod ordo episcopalis, ut præscindit a sacerdotio et non includit illud, et quantum ad illud quod superaddit sacerdotio simplici, est inferior ordine sacerdotali quoad potestatem ordinis, licet sit superior quoad potestatem jurisdictionis: quia ad dignorem actum ordinatur sacerdotium quam episcopatus (6), in quantum episcopatus. Etsimiliter, est inferior per respectum ad corpus Christi verum, licet sit superior per respectum ad corpus Christi mysticum, ut patet in probatione prime conclusionis. Et inde est quod potestas episcopalis non habet rationem characteris, sicut potestas sacerdotalis, ut dictum est in probatione secundæ conclusionis. — Tunc ad probationem quod non sit inferior, dicitur quod ordo inferior, si sit sacramentum, prius sumitur quam superior; et præsupponitur superiori de necessitate præcepti, licet non de necessitate sacramenti. Sed ordo inferior qui non est sacramentum, sed officium quoddam respectu quarumquinque actionum hierarchicarum, potest sumi post superiorem ordinem qui est sacramentum. Et sic est in proposito: quia episcopatus non est ordo qui sit sacramentum, sed ordo qui est officium. Exemplum hujus est: quia communiter prius efficitur quis sacerdos quam magister in theologia, et tamen constat quod magisterium est indignius quam sacerdotium. Causa autem quare episcopatus presupponit sacerdotium, est eadem cum causa quare potestas solvendi et

(α) Cfr. dist. 1, q. 1, art. 3, § 4, I, ad 10^{um}; et q. 2, art. 3, § 4, ad 4^{um}; et, in eadem quæstione, responsionem ad argumentum pro quæstione.

(6) quam episcopatus. — Om. Pr.

ligandi presupponit potestatem consecrandi et confiendi corpus Christi verum : quia scilicet omnis gratia et remissio in corpore Christi mystico, ex capite suo provenit ei, sicut dicit beatus Thomas, decima octava distinctione hujus, q. 1, art. 4, q^{ta} 2, in solutione primi argumenti, ut alias recitatum est, in praecedenti distinctione (z). Et ideo, sicut potestas solvendi presupponit potestatem confiendi, ita potestas episcopi supra corpus Christi mysticum presupponit potestatem supra corpus Christi verum, quantum ad ea que sunt ordinis, licet non quoad illa que sunt jurisdictionis. Alia causa potest esse : quia Episcopus Christum perfecte representat, qui fuit sacerdos et episcopus. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.* (6), dist. 24, q. 3, art. 2, q^{ta} 4, in solutione tertii, sic dicit : « Sicut omnium rerum naturalium perfectiones preexsistunt exemplariter in Deo, ita Christus fuit exemplar omnium officiorum ecclesiasticorum. Unde unusquisque minister Ecclesiae quantum ad aliquid gerit typum Christi ; et tamen ille est superior, qui secundum maiorem perfectionem Christum representat. Sacerdos autem representat Christum quantum ad hoc quod per seipsum aliquid ministerium implevit ; sed Episcopus in eo quod alios ministros instituit, et Ecclesiam fundavit. Unde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid divinis obsequiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi instituens. Et propter hoc Episcopus specialiter sponsus Ecclesiae dicitur, sicut Christus. » — Hec ille.

Ad secundum, negatur primum antecedens. Et ad ejus probationem, negatur minor. Quia ordinare aliquem in sacerdotem non est actus convenientis sacerdoti (7), in quantum sacerdos est, ita quod potestas (8) sacerdotalis sit potentia, vel virtus, aut forma productiva formae ejusdem speciei, si non sit impedita, ut arguens singit. Nec valet sua prima probatio. Quia falsum est quod qualibet forma activa, non impedita, possit transfundere seipsam : sicut patet de intellectu agente, et de voluntate, et eorum habitibus; omnes enim tales formae sunt principia agendi, non tamen producendi formam ejusdem speciei. Idem patet de anima rationali, et de angelo. Praesertim illa propositio falsa est de virtutibus instrumentalibus sacramentalibus : nam confirmatus, per suum characterem non potest alium confirmare; nec subdiaconus, nec diaconus, virtute suorum characterum, sine pluri, possunt alium sibi assimilare; nec sacerdos potest virtute sui characteris dare sacerdotium mulieri, que tamen est passum ejusdem rationis et speciei cum ipso. Et

ratio est : quia agens instrumentale non sortitur effectum nisi motum a principali; nunc autem Deus non movet ordinatos ad communicandum suum characterem, sed ad alios effectus. Movet autem Episcopum ad communicandum ordinis potestatem. Cujus rationem ponit sanctus Thomas, dist. 25, q. 4, art. 4 : « Potestas, inquit, episcopalis se habet ad potestatem ordinum inferiorum sicut politica, que conjectat bonum commune, ad artes inferiores et virtutes, quae conjectant bonum aliquod speciale. Politica autem, ut dicitur, 1. *Ethicorum* (cap. 2), ponit legem inferioribus partibus, scilicet quis quam (z) debet exercere, et quantum, et qualiter. Et ideo ad Episcopum pertinet in omnibus divinis ministeriis aliquos collocare. Unde ipse solus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituantur. Ideo etiam solus Episcopus virgines benedicit, quae figuram gerunt Ecclesiae Christo despontatae, cujus cura ipsi principaliter committitur. Ipse etiam in ministeriis ordinum ordinandos consecrat, et vasa quibus uti debent, eis determinat sua consecratione; sicut etiam officia saecularia in civitatibus distribuuntur ab eo qui habet excellentiorem potestatem, sicut a Rege. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod imaginatio arguentis de communicatione characteris non valet.

Ulterius, illud quod dicit, quod character sacerdotii in sacerdote simplici est impeditus ne possit exire in actu et (6) se communicare, — non valet. Quia non appareat quale sit illud impedimentum : utrum sit positivum vel privativum, utrum absolutum vel respectivum; nec ubi sit subjective, utrum in subjecto ipsius characteris sacerdotalis aut in alio, et utrum sit in ipso sacerdote vel extra illum; nec a quo causetur tale impedimentum, a Deo vel ab homine. Si dicatur quod tale impedimentum est prohibitio Dei vel Ecclesie, hoc non valet : quia haereticci, schismatici et degradati, dum tamen sint rite ordinati, et acceperint potestatem episcopalem, possunt ordinare, non obstante prohibitione Dei et Ecclesie; et ita esset in proposito, si potestas episcopalis nullum absolutum adderet supra characterem simplicis sacerdotii. De hoc sanctus Thomas, dist. 25 hujus, q. 4, art. 2, sic dicit : « Quidam dixerunt quod haereticci, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem ordinis conferendi, non autem postquam fuerint ab Ecclesia precisi; et similiter nec degradati, et alii hujusmodi. Et haec est prima opinio. Sed hoc non potest stare : quia omnis potestas quae datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingentи tolli potest, sicut nec ipsa consecratio annullari, quia etiam altare vel chrisma semel consecrata, perpetuo consecrata manent; unde, cum potestas episcopalis cum quodam consecratione

(z) Cfr. distinct. paoed., art. 3, § 1, ad 3^{um}.

(6) *Sentent.* — hujus Pr.

(7) *conveniens sacerdoti.* — *communicis sacerdotis* Pr.

(8) *potestas.* — Om. Pr.

(z) *quam.* — *quid* Pr.

(6) *et.* — Om. Pr.

detur, oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccat, vel ab Ecclesia praescindatur. Et ideo alii dixerunt quod praecisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia potestatem episcopalem habuerunt, retinent potestatem ordinandi et promovendi; sed promoti ab eis hoc non habent. Et haec est quarta opinio. Sed hoc etiam non potest esse: quia, si illi qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem quam acceperunt, patet quod, exequendo potestatem suam, veram consecrationem (z) faciunt; et ideo vere tribuunt omnem potestatem quae cum consecratione datur; et sic ordinati ab eis, vel promoti, habent eamdem potestatem quam et ipsi. Et ideo alii dixerunt quod praecisi ab Ecclesia possunt ordines conferre et alia sacramenta, dummodo formam debitam et intentionem servent, et quantum ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, et quantum ad ultimum, qui est collatio gratiae. Et haec est secunda opinio. Sed hoc etiam non potest stare: quia ex hoc ipso quod aliquis (6) haeretico praeciso ab Ecclesia in sacramentis communicat, peccat; et ita fictus accedit, et gratiam consequi non potest, nisi forte in baptismo in articulo necessitatis. Et ideo alii dicunt quod vera sacramenta conferunt; sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae. Et haec est tertia opinio, quae vera est. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod ubi est sufficiens potestas conferendi ordines, nulla prohibitio Ecclesiae, nec aliquod peccatum potest illam impedire ne exeat in actum.

Item, fictio est dicere quod Episcopus in sua consecratione nullam novam potestatem accipiat, nec intensionem vel augmentationem precedentis, sed solam remotionem impedimenti prioris potestatis. Hoc enim est contra formam verborum sue consecrationis, in quibus nulla fit mentio de tali remotione impedimenti, et fit mentio de collatione potestatis. De hoc sanctus Thomas, dist. 25, q. 4, art. 2, in solutione secundi, sic dicit: « In promotione Episcopi datur sibi potestas, quae perpetuo manet; quamvis dici non possit character, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi mysticum; et tamen indelebiliter manet, sicut character, quia per consecrationem datur. » — Haec ille.

Ad confirmationem, et quedam quae ibi saepe repetit, scilicet quod Papa potest committere omni sacerdoti collationem ordinum, — dicitur quod, si intendat loqui de collatione majorum ordinum, falsum est, et erroneum, et contra determinationem Ecclesiae. Unde sanctus Thomas, dist. 25 hujus, q. 4, art. 4, in solutione tertii, sic dicit: « Papa,

qui habet plenitudinem pontificalis potestatis, potest committere non Episcopo ea quae ad episcopalem dignitatem pertinent, dum tamen illa non habeant immediatam relationem ad corpus Christi verum. Et ideo, ex ejus commissione, aliquis sacerdos simplex potest conferre minores ordines, et confirmare; non autem aliquis non sacerdos; nec iterum sacerdos maiores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi verum, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos. » — Haec ille. — Item, Petrus de Palude: « Cum decretalis dicat quod, si sacerdos simplex confirmet, non subest veritas in sacramento, de Consuetudine, cap. Quanto, periculum est dicere quod non sit potestas spiritualis consecrationis in Episcopo alia quam in sacerdote. Praeterea, dicunt Jura, quod ea quae sunt ordinis et consecrationis, non potest committere Papa nisi Episcopis, de Consecratione ecclesiae vel altaris, cap. Aqua; quae, si essent solum ordinis presbyteralis, posset committere presbyteris, sicut solvere et ligare. Ergo aliqua sunt propria consecrationis et ordinis episcopalium supra sacerdotem. » — Haec ille, cum multis aliis facientibus ad propositum, dist. 24, q. 6. — Item, dist. 25, q. 4, sic dicit: « Solus Episcopus jure suo potest ordines conferre, praeципue maiores: quia non minus est in exercitu ducem praeponere, quam milites adscribere; sed ad solum Episcopum in exercitu Ecclesiae militantis pertinet milites adscribere per sacramentum confirmationis; ergo multo fortius ad ipsum solum pertinet in Ecclesia praeponere duces, quod fit per sacramentum ordinis, praecipue per maiores ordines. Sed Papa potest committere simplici sacerdoti confirmationem et minores ordines: quia ministerium conferendi ordines summos Christus determinavit summum sacerdotem, scilicet Episcopum, quem ministerium Papa non potest mutare; ministerium vero confirmationis et minorum ordinum Christus posuit sacerdotem quem Ecclesia determinaret, quia nec erat aliquis confirmandus ab homine quo usque primi confirmatores essent confirmati a Spiritu Sancto, nec minoribus ordinibus in primitiva Ecclesia utebantur. Et, licet hoc sit petore principium, tamen, ex consuetudine Ecclesiae Romanæ, quae ista committit, et non illa, potest convinci quod ita fuit. Sed (a), nisi Papa sit consecratus in Episcopum (6), certum est quod non potest hoc committere: quia omne per accidens reducitur ad perse; unde oportet quod omne agens agat vel in virtute sua, vel alterius; et quia per se Episcopi est ordinare vel confirmare, inde est quod si ordinans vel confirmans non est Episcopus, oportet quod sit in virtute veri Episcopi; unde, si electus in Papam

(z) veram consecrationem. — unam confessionem Pr.
(6) ab. — Ad. Pr.

(*) Sed. — Et Pr.

(6) a verbo nisi usque ad Episcopum, om. Pr.

non sit verus Episcopus, non potest hoc committere, etc. » — Hæc ille, cum multis aliis ad propositum facientibus.

Denique illud fundatūm quod ultimo recitat arguens, licet ex prædictis pateat esse insolidum, tamen, ex abundantia, ad ostendendum ejus ruinam, recito dictum sancti Thomæ, ubi supra, scilicet dist. 25, q. 1, art. 1, in solutione quinti. Arguit enim sic, quinto loco : « Plus distat sacerdos a diacono, quam Episcopus ab Episcopo. Sed Episcopus potest consecrare Episcopum. Ergo sacerdos potest promovere diaconum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur solum propinquitas, sed completio potestatis. Et quia sacerdos non habet completam potestatem in hierarchie officiis, sicut Episcopus, ideo non sequitur quod possit diaconos facere, quamvis ille ordo sit sibi propinquus. » — Hæc ille. — Ex quibus habetur causa quare character sacerdotii non potest communicare seipsum, nec sacerdos simplex potest ordinare sacerdotem nec diaconum.

Ad argumentum contra quæstionem (z), et ad illud quod est pro quæstione (6), patet responsio per prædicta.

Et hæc de quæstione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIONES XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX.

QUÆSTIO I.

UTRUM MATRIMONIUM SIT SACRAMENTUM

SIRCA vigesimamsextam distinctionem, et tres (7) sequentes, queritur : Utrum matrimonium sit sacramentum.

Et arguitur quod non. Quia omne sacramentum novae legis habet aliquam formam, quæ est de essentia sacramenti. Sed benedictio quæ sit per sacerdotem in nuptiis, non est de essentia matrimonii. Ergo non est sacramentum.

In oppositum arguitur. Quia dicitur, *Ephes. 5. (v. 32)* : *Sacramentum hoc magnum est*, etc.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

(a) quæstionem. — conclusionem Pr.

(b) quæstione. — conclusione Pr.

(c) tres. — quatuor Pr.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : *Quod matrimonium est vere et realiter sacramentum.*

Hanc ponit sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 2, art. 1, ubi sic dicit : « Sacramentum importat aliquod remedium sanctitatis homini contra peccatum, exhibitum per signa sensibilia. Unde, cum hoc inveniatur in matrimonio, inter sacramenta computatur. — Item, sacramentum est sacrae rei signum. Sed matrimonium est hujusmodi. Ergo, etc. » — Hæc ille.

Ex quibus patet ratio pro conclusione.

Secunda conclusio est quod matrimonium confert gratiam.

Hanc ponit sanctus Thomas, eadem quæstione, art. 3, ubi sic dicit : « Circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt quod matrimonium nullo modo est causa gratiæ, sed est tantum signum. Sed hoc non potest stare : quia, secundum hoc, in nullo abundaret a sacramentis veteris legis; unde non esset ratio aliqua quare sacramentis novæ legis annumeraretur. Quod enim remedium præbeat satisfaciendo concupiscentię, ne in præceps (a) ruat, dum nimis (b) ardatur, habuit etiam in veteri lege, ex ipsa natura actus. — Et ideo alii dixerunt quod ibi confertur gratia in ordine ad recessum a malo : quia excusat actus a peccato, qui sine matrimonio peccatum esset. Sed hoc esset nimis parum, quia hoc etiam in veteri lege habuit. Et ideo dicunt quod facit recedere a malo, in quantum mitigat concupiscentiam, ne extra bona matrimonii feratur; non autem per gratiam illam sit aliquod auxilium ad bene operandum. Sed hoc non potest stare : quia eadem gratia est quæ impedit peccatum, et quæ ad bonum inclinat; sicut idem calor est qui auferit frigus, et qui calefacit. — Unde alii dicunt quod matrimonium, inquantum in fide Christi contrahitur, habet ut conserat gratiam adjuvantem ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur. Et hoc probabilius est. Quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illa; sicut patet quod omnibus potentias animæ respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Unde, cum in matrimonio detur homini, ex divina institutione, facultas utendi uxore sua ad procreationem

(a) præceps. — præceptum Pr.

(b) nimis. — mens Pr.